



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputatio De Statv In Qvo Sint Beatorvm Animae Post
Hanc uitam, ante ultimi iudicij diem**

Dévay Biró, Mátyás

[Nürnberg], [1537]

VD16 D 1300

Propositio XVIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-34195

mater uirtutum sit, mater non potest carere sua prole, sic fides suis operibus, quæ ad fidei sequelam necessario requiruntur, sed non ad iustificationem spiritus. Si Fratri creditur, nec latro est saluatus, nec tot puerorum myriades, qui nihil operum fecerunt. Per salæ nugæ sunt Fratris somnia.

PROPOSITIO XVIII.

Nam si in te haberes quo saluari posses, quid crederes?

CENSURA.

En quod scripturis probare non potest, quàm subtili ratione munire conatur.

CONDEM. CENSURAE.

Non est certus ordo propositionum, sed miscellaneus. Nam quicquid potuit inuenire a me uel dictum uel scriptum, ille uit in chartam. Caterum cum fides sit donum Dei, Chrysof. Hebræ. 11. Quia Deus nobis fidem infundit, Et Ephe. 2. & sit in nobis, cauillatur Frater me mihi ipsi esse contrarium, prædicat, inquit credendum esse, cuilibet saluari per fidem, quæ est in nobis, & idem abnegat, non esse credendum eo saluari posse, quod est in homine. Hæc est argutia Monachorum, & profecto recte ille dixerat, Sophista omnis odibilis est, multiplicat uerba non necessaria. Toties de natura fidei dixi, quæ in nobis est non natura sed gratia, Precium uero salutis nostræ Christus est, quem fide apprehendimus. Saluamur ergo beneficio fidei existentis in nobis per Dei gratiã & innitentis in Christi satisfactionem. Nam fidei nostræ finis non est conditio dignitatis nostræ, sed misericordia

*Chrysofostomus
ephe. 2.*

Sophista odibilis est

sericordia Dei. Et sicut opera (inquit Frater) sine Christi merito, sic etiam uniuersaliter, meritum Christi sine operibus non saluat. De merito Christi apud nostros spirituales altissimum erat silentium, sed nunc occipiunt nominare, sed more Pelagianorum, quibus cum ex ouo prognati sunt uno, Christus adeo imperfectus est Monachis nostris, ut ad salutem nostris egeat operibus, qui tamen perfectus factus est omnibus obtemperantibus sibi ad salutem. Et clamat Esaias omnes iusticias nostras menitruo pollutas esse. Idem cap. 47. Opera tua non proderunt tibi, sed qui fiduciam habet mei, hæreditabit terram &c. Et Christus etiam si feceritis omnia, dicite: serui inutiles sumus, Lucae 17. Non intres in iudicium cum seruo tuo &c. Non secundum opera nostra facias nobis. Pro nihilo saluos facies eos, bonorum meorum non eges. Si nostra opera sunt ad salutem necessaria, tunc & fides erit conditionalis, tam uili addixerunt isti Thraones sanguinem Christi, & Dei patris misericordiam. Admittit q̄ opera possint saluare, sed merita Christi sine operibus non posse saluare contendit. Vere impium est nostrorum spiritualium dogma, & nimis q̄ uere spiritualium, id est dæmoniacorum, nam & dæmones spiritus sunt.

PROPOSITIO XIX.

Iusticia cordis fides est, iusticia operum charitas.

CENSURA.

Charitas non tantum est iusticia operum, sed & cordis & operum omnia mundans. Lucae 11. Charitas uniuersalior est fide, si fides corda purificat, charitas omnia.

m 2 Condem.